

Q.K.  
429,  
33.

Q.D.B.V.  
ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ HISTORICO-  
PHILOLOGICA  
DE

(X1853302)

28.  
Π.С  
1124

# CAPILLAMENTIS

Vom

Bartuffen /

Zum

Inclytæ Facultatis Philosophicæ Con-

sensu in Majori Principum Collegio

sub

PRÆSIDIO

VIRI CL.

M. VALENTINI FRIDERICI,  
SS. Theol. Baccal. Facult. Philof.

Adfessoris,

Dn. Fautoris ac Præceptoris sui omni honoris cultu  
æviternūm prosequendi,  
publicæ Eruditorum cynosuræ subjicit

A U T O R

VALERIUS Erfurth/ Weissenfelsensis,

Magisterii Candidatus,

ad diem XXII. Januar. ANNO

τῆς τελόγου ἐναθέωποσας

CL XIc LXXIII.

LIPSIAE,  
Typis JOH. ERICI HAHNII.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



P

Lucianus:  
Τὸ φιλόκαινον πᾶσιν αὐθεώποις ὑπάρχει.

ΕΥ! ΕΥ!

**C**larissimum illud a) Clarissimorum Atheniensium, Αὐτοὶ προοιμίαν παθῶν, hāc etiam vice nobis dictum arbitrati, rem meritò ipsam, sequenti processuri ordine, statim adgradimur. Sit itaq; abjectō omni longioris antelogii, ξὺν θεῷ παλάμην

## CAPUT PRIMUM

*De*

# CAPILLAMENTORUM

ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑ.

§. I.

**N**Eq; ἀναιλίως. Si enim, juxta Horatianum illud, vel b) cœcus adspiciendus est, si quid svadeat, qvod non sit inutile; quidnī potius ille τῆς ἀληθείας Φιλόσοφος c) qvō nemo doctior d) nemo

A 2

acu-

---

a) Hoc præco qvondam in concione dicturis suggerebat. De qvo amplissimum illud cornu copiæ *Adag. Erasm. compluribus.* b) *Horatius l. i. Epist. ad Sæb. b. 4.* Non ergo semper valet Græcorum illud tritissimum: Μήτε τυΦλὸν ὄδηγὸν, μήτε ἀνόητον σύμβολον: Siqvidem, juxta *Hesiodum:*

Πολλάκις ηγῆ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα οαιεων εἰπεν.

Adnot. A. Gell. noct. Attic. l. 2. c. 6. f. m. 19. edit. Argent. Cui suffragari videtur Ciceronianum illud: Summi Imperatores non nunquam magnis in tempestatibus admoneri solent. in qvæst. Tusc. vid. etiam Sophocl. in *Trachin.* v. 60. c) Aristoteles, sic nuncupatus à Præceptore suo, Platone, quem per viginti annorum spaciū audierat. Cujus vit. descr. Plut. fol. m. 385. seqq. ut & Phil. Mel. tom. 3. præf. in orat. paneg. p. 359. seqq. d) Urs. l. 3. coll. 5. Reliqua ejusdem encomia Electa Scaligera h. e. Julii Cæsaris Scalig. sententiæ, præcepta, definitiones, axiomata ex universis illius operibus selecta operâ Itabyrionis, tanquam in fasciculo qvodam omnia exhibent p. 61. seqq.



acutior, nemo in rebus vel inveniendis, vel judicandis accuratior,  
ωρές τὸ λέγων, διδάσκειν δὲ πρώτως ἐξετάζειν τὰ ὄνοματα. ε) Præ-  
sertim quoniam his cedrō dignissimis id sva deat, quod non solum ante  
ipsum omnium Sapientissimus f) Socrates, omnium oculatissimus  
g) Plato, verum multi post ipsum quoq; b) alii non utiliter minūs,  
quam sapienter observare consverunt.

§. 2. Quod primò igitur omnium hāc in nominis ἐξετάσει Ety-  
mologiam concernit, eam nec παιδί, quod i) ajunt, οὐ τοφλῶ γνώ-  
μον εἶναι ambigo. Quā ductus etiam causā paucis saltem, ne κα-  
κοζήλως forsan lynces videre docente imitari videar.

§. 3. Deducitur ergo capillamentum ab Adjectivo verbali ca-  
pillatus, i. e. multos seu longos crines habens, crinibus abundans.  
Sicuti inter alia hōc sensu descriptum conspicitur fictum illud Græ-  
corum

e) l.l.prior. c. 1. Alibi sic: Δεῖ τοίνον τῶν ὀνομάτων ἔκαστον εἶναι γνώ-  
μον &c. l. z. Metaph. c. 5. f) σοφὸς σοφοκλῆς, σοφότερος εὐερπίδης,  
αὐδεῶν δὲ πάντων σωφότερος ὁ σωκράτης. Hunc in modum Apollinem  
quondam Chærephonti respondisse fertur, qui literarum studio adeò deditus fuit,  
ut macilentiam ac pallorem inde contraxerit. Hinc φιλέλληνες insigni-  
ter studentem ac sudantem delineaturi, Οὐδὲν παρειμιακῶς λέγεται, δια-  
φέρεις τὸ χαρεφῶν. Cujus meminit Suid. g) Philipp. Morn. de Ver.  
Relig. Christ. c. 20. Hunc Platonem scilicet, Romanæ eloquentiæ Paren̄s tanti fe-  
cit, ut etiam dixerit, se malle cum Platone errare, quam cum aliis verum dicere.  
Et idem de ejusdem dialogis, Si, inquit, Jupiter ipse oratione uteretur, non ali-  
ter, quam Platonis dialogis esset locuturus. Plut. in vita Cic. fol. m. 349. col. A.  
num. B. Sic: Philipp. tom. c. in vita Plat. pag. 349. Insuper Augustinus notat, il-  
lum inter semides quondam prorsus fuisse numeratum. lib. II. de Civ. Dei c. XIV.  
Verba Platonis ipsa huc quadrantia ita sonant: Πρώτως τὸ τῆς Φωνῆς ση-  
μαινόμον δεῖ ἐξετάζειν ὅρος γε ὀνοματώδης μεγάλην ἔχει ροπὴν ωρές  
τὰ ἐπόμηνα. In Cratyl. ὅτε autem ὀνοματώδες οὐ πειρυματώδες defini-  
tionem Aristot. præbet seqventem: Ονοματώδης θεος λόγος σημαίνων τὸ  
ὄνομα, πειρυματώδης λόγος τὸ τὴν εἴναι σημαίνων, lib. 2. post. c. 10. Topic.  
I. c. 5. b) Stoicorum plerique. Kirchm. in lib. de annul. elegantissimo c. 1. p. 1.  
Isidorus Hispalensis: Cum videris, inquit, unde ortum est nomen, citius vim ejus  
intelliges lib. I. orig. c. 26. p. 122. Scaliger: à nominibus auspiciendum. Exerc. 359.  
i) Comicorum οἰταπελώτης Aristoph. in Plut. pag. m. 6 §. 49. ubi hac  
extant:  
Τῷ τύπονειναις, δηλονότι η οὐ τοφλῶ  
γνῶναι δοκεῖ τῷ, ως &c.  
vid. supra laud. Adag. sub tit. Perspic. f. 581. edit. Hannov.

corum ac Romanorum k) simulacrum, his occasio, illis verò τῷ  
καιρῷ adpellatum hōc πολυθευλάντω: l)

Fronte capillata est, postica occasio calva.

Profluit autem ex verbo, eoqve penē m) inusitato capillo, or, qvod originem trahit à Nom. Subst. capillus, dicto nonnullis n) quasi capitinis pilus. Cujus acceptiorum diversitatem Lexicographorum, χειραγωγία passim qvām plurimis.

§. 4. Cæterū non possum non attingere capillamentum Græcis audire τὸ τρίχωμα. Qvōd, juxta communem τῶν in μα desinētum Analogiam derivatur, à i. pers. præt. perfect. pass. πτρίχωμα, capillatus, comatus sum redditus: ita enim videntur ii, qvi ejusmodi τρίχωμασι utuntur, licet ναὶ ἀληθεῖς tales non sint, qvales externō qvidem adspectu præ se ferunt. Thema à qvo hoc formatur est τρίχόμα, θμα, cuius Activum τρίχω, & i. e. pilosum, capillatum, comatum reddo, capillos induco. Venit à vulgari Subst. θέριξ, capillus, crinis &c. dicto λόπο τριθείζειν o) à metendo, demetendo, Ratio: qvia capillus, qvando detondetur, demeti quasi videtur.

§. 5. Circa Homonymiam observandum, capillamentum 1) accipi pro capillorum congerie p) reali, seu complexu q). Qvō nomine veniunt die Peruven, Barücken, Thouren, Zöpfse / Haarlocken. 2) pro capillamentis radicum & seminum, für r) kleine / lange / dünnne Würzlein / die in den grossen neben zu / oder unter sich wachsen / die Fäserlein an Wurzeln: Exemplum hujus præbet Columella s) isq; scriptor elegantissimus: Qvi, inqviens, in eo errabant, qvō primi anni capillamenta radicum & seminum intecta patiebantur &c. 3) pro herba croci, qva Plinius hanc saltem mentionem facit, t) qvod sit folio angusto. 4) pro capillamento picto.

§. 6.

k) Occasionem graphicè depictam offert Auson. in Epigr. qvod incipit: Cujus opus? Phydiæ &c. vid. etiam Posidipp. Epigr. à Lil. Girald. è Græco conversum, apud Ḡnid. Panceroll. p. m. 191. Item Alciat. Epigr. apud eundem p. 192. l) Reperiatur inter moralia Catonis disticha, qvæ tanto olim in precio fuerunt, ut etiam multos gravissimos ac doctissimos viros non puduerit, ea memoriter discere, vid. Scal. l.c. m) Usurpatur enim à Plinio, Polytrix, inqviente, in viridi capillatur, sed comarum defluvium facere dicitur, cit. Calep. in dictionar. n) non omnibus. Sunt enim, qvi simpliciter malunt à Caput. Qvorum in numero etiam Martinus, velut ipse testatur in Lex. suo Phil. o) Scap. sub voce θέριξ. p) Mart. l. c. q) Egregia recens Fabri editio omnium optimè. r) Thes. Lat. Lingv. Decim. s) L. Columella lib. 5. t) Plin. lib. 2. natural. hist. c. 6. fol. m. 348.

§. 6. Verum enim verò qvùm hæ ultimæ σημασίαι παράγοντες χρέδην ne qvidem minimūm: idcircò, missis iisdem, hanc tantummodò solam amplectimur, qvâ priori statim loco notabatur *cine Barücke / Thoure* ic.

§. 7. Nec prætereunda deniqve in Nominali hac nostra definitione ejusdem πολυνωνια, vel, ut Stoici loqvuntur, *Synonymia*. Hac enim imprimis gaudent seqventia: Galerus vel galerum u) galericulum, w) caliendum x) αρχηόμιον y) πνίκη seu Φενάκη z) κράβυλος seu etiam παρεξύλων αλα) κράβυλος, κόρυμβος, σκορπίος bb) κόμη αρχήθεος, κόμη αρχίθεος cc) sutile ac textile capillamentum dd) crinis hypocriticus ee) coma insititia ff) capillus supposititus gg) coma ascita, ascititia hh) apposititia ii) falsus capillus

---

u) vid. *Casaub. animad̄. p. 495. in Svet. Ner. c. XXVI. p. 204.* w) *Ejusd. animad̄. p. 536. in Othon. c. XII. p. 224.* x) *Papias*: Caliendum, capillatura, supposititus crinis pro naturali ornatū capitū: vel, qvō ad ornandum crines capitū utuntur, refer. *Mart. Horatium* priori sensu usum fuisse, qvando cecinit:

at illæ currere in urbem,

*Canidæ dentes altum Saganae caliendum. I. I. Serm.*

veterum Scholiastarum pleriq; autumant. Qvibus etiam suffragari videtur cit. recens *Fabri* editio, Solebant, inqviens, vetulæ edentulæ & calvæ, ut fœditatem suam tegerent, arte factos dentes inserere, & falsam comam adponere. Hoc ergò, concludit, *Horatius caliendri* voce significat &c. y) *Poll. l. 2.* z) ΔΠΩΤΦΕΝΑΚΙΣΕΙΝ, à fallendo, decipiendo, juxta *Eustathium*. Cui tamen ex diametro quasi repugnat *Stephanus*: Ego, inqviens, certè non video, qvomodo Φενάκη à Φενάκισι immediatè, ut ita dicam, deduci queat, sed dixerim potius à Φενάκη esse Φέναξ, ex qvo Φενάκισι: aut potius (seqvendo alteram deductionem) à nomine Φέναξ esse Φενάκη & Φενάκισι. Vid. tom. ejusd. IV. thes. Grac. ling. f. m. 78. aa) apud *Suid. Schol. Aristoph.* & *Eustath.* bb) Hanc vocabulorum trigam *Eustath.* sic distingvit: πλέγμα τριχῶν εἰς ὅξυ δποπλῆγον ὁ θῆτι αὐδεῶν κράβυλος, θῆτι γυναικῶν κόρυμβος, θῆτι παιδῶν σκορπίος σκαλέτο. cc) Musa Attica, cujus (*Cic. teste in orat. de Sen.*) sermo melle dulcior, l. I. παιδ. dd) *Tertull. de cult. fœm. c. IV.* ee) *Frijs. lib. epigr.*

Sed qvia calvitium natura turpe videtur,

Illud hypocritico crine sophista tegis.

ff) *Cæl. Rhod. l. VII. antiq. lect. c. XXIII. f. m. 317. B.* gg) *Lotich. comment. in Petron. l. 2. c. IV. p. 173.* hh) *Nazianz.*

Ne caput ædifices ascito fœmina crine.

ii) *Palladius rerum rusticarum scriptor.*

lus' kk) adoptiva ll) coma aliena mm) emtitia nn) adulterina oo) accommodatitia pp) &c. Talmudicis dicitur qq) נִבְרֵוֹת פָּאָרֶן i. e. Angulus alienus, seu erinus alienus angulorum capitum & frontis. Tantum de ονοματολογίᾳ. Seqvitur nunc, svadente Οὐαξίας μεθόδῳ,

## CAPUT SECUNDUM De CAPILLAMENTORUM

ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΑ.

§. 8. Ut ergo & hæc cuiuslibet oculorum aciei clare atq; perspicue proponatur, considerandum 1) arbitrator λόγον τὸ πίστι, sive ὀρισμὸν seu definitionem, 2) τὴν τὸ ὀρισμὸς εἰς μέρη ανάλυσιν, ἢ διαιρεσιν, vel divisionem.

§. 9. Definitionem constituimus sequentem: *Capillamentum* est congeries crinum, ab hominibus contexta, ad protegendum, vel ornandum caput.

§. 10. Genus est congeries, quia terminus hic latior suo defini-  
tō, quippe qui etiam de lapidum, tritici, lupuli, aliorumq; conge-  
rie hinc inde usurpatur.

§. 11. Differentiam qvod attinet, illa desumpta est à causis, ef-  
ficiente scilicet, materiali, formalī, & finali. De qvibus singulis fin-  
gulatim.

§. 12. Causa capillamentorum Efficiens, ὡς αἴπλως εἰπεῖν, sunt homines, à qvibus contexuntur, formantur, conficiuntur. Hos Rangoν vocat rr) capillamentarios, item capillamentorum magistros. Græcè forsan, si ονοματηποιῶν liceret, haud inepte adpellari possent τεχωματηποιοὶ, conveniret etenim cum Germanico nostro Varūc-  
kenmacher; adde, qvod aliás multa qvoq; ejusmodi δηπὸ τὸ ποιεῖν sic formari soleant. v. g. ξεηματηποιοὶ, μαχαιρηποιοὶ, χαλινοποιοὶ, τει-  
χοποιοὶ, χλαμυδοποιοὶ, ὠδοποιοὶ &c. De qvibus Scap. Steph. Gesm.  
& alii.

§. 13.

kk) Mart. l.6. epigr. 57<sup>o</sup>

Mentiris falsos unguento Phœbe capillos.

ll) Chabet. in Horat. l.6. mm) Hier. l.2 Ep. 18. nn, oo) Lotich. l.c. & Mart. l.6.  
Epigr. 12. ad Paul. Fabull. pp) Steph. sub voce Φέναξ. qq) de eo disputant  
Talmudici Schabb. c. 6. f. 64. 2. Nasir. f. 28. rr) in lib. de capill. sing.

§. 13. Sed paulò ad rem propriūs. Qvibusnam ex his, de qvib[us] dictum hominibus, mirum hocce capillamentorum ēugenūa proprie competit?

§. 14. Gallis, inquit vulgus, nec ulli gentium ante hos alii.

§. 15. Verùm hoc vulgus ανισορήτως satis καὶ αἰελαιώς maximè: utpote qvi ex veritate pauca, ex opinione vero multa xstimat, sicuti Cicero ss) verè simul ac sapienter loqvitur. Multò autem aliud Eruditorum probant historiæ. tt)

§. 16. Probant enim haud obscurè, capillamenta, seu, qvod idem est, galericula, jam antè non solùm in usu fuisse apud Romanos, verùm etiam apud Græcos & Persas; qvid? qvod apud Medos quoq; & Hebræos.

§. 17. Apud Romanos in usu fuisse testatur Svetonius, qvi uu) maximorum qvondam Principum familiaris fuit, de Caligula scribens, vv) qvod ganeas & adulteria celatus obierit capillamento xx). Et idem de Claudio yy) Nerone, qvòd post crepusculum statim, arrepto pileo, vel zz) galero, popinas inierit, circumq; vicos vagatus fuerit lubibundus. Sic itidem gemellā ratione de Othone aaa) Svetonio, qvòd modicā fuerit staturā & male pedatus, scambusq;. Munditiarum verò adeò muliebrium, vulso corpore, galericulo bbb) capi-

ti pro  
ss) in Orat. pro Rosc. Et pro Plancō: Non est, inquit, in vulgo consilium, non ratio, non discrimin, non diligentia. Hinc Plato: Οὐκ εἰς σπεδαίς γέ καταφέυγεις, εἰς τὰς πολλὰς ἀναφέρων. in Alcib. tt) Cicero : Historia, inquit, est testis temporum, lux veritatis, magistra & memoria vitæ, nuncia veritatis. lib. 2. de Orat. uu) Bæcl. in epift. dedic. ad Daniel. Imlinum. vv) Sveton. C. Calig. c. XI. pag. m. 137. edit. Argentorat. xx) Interpres Casaubonus inter alia hunc in locum sic commentatur: Capillamentum est πνίην. Autor Satyrici, evocatumq; me non decoro minus exornavit capillamento, imò commendator vultus enituit, qvin \* flaurorum corymbio erat. Puto, scribendum, qvia flaveo ornatum corymbio erat. Svetonius in Othone galericulum vocat p. 410. yy) Sveton. de Claud. Ner. c. XXVI. p. 204. zz) Interpres: καὶ ἐδόκει μέν πῶς λαθάνειν καὶ γδ ἐθῆστο ποιίλαις καὶ κόμαις σθέτοις ἄλλοτε ἄλλας ἐχεῖτο· ἡλέγυχετο δὲ ἐκ τῆς ἀκολούθιας καὶ ἐκ τῶν ἔργων. Ex Dione. aaa) Sveton. in Oth. c. ult. p. 242. bbb) Interpres: Veteres qvùm capite nudo essent, & calviciem urbanorum dictis esse obnoxiam experientur, ad eam celandam instituerunt pelles quasdam parare, appositis crinibus humanis, sic, ut aptata capiti, cutis vera, non coma adscititia videretur p. 536.



ti propter raritatem capillorum adaptatō, ut nemo dignosceret.  
Huc etiam facit Satyricum illud Juvenalis : ccc)

Claudius audi

Quæ tulerit. Dormire virum quum senserat uxor,  
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,  
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos  
Linquebat, comite ancillâ non amplius unâ;  
Et nigrum flavô caput absconde galero,  
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Nec minus qvod Ovidius cecinit : ddd)

Fæmina procedit densissima crinibus emtis,

Proq; suis alios efficit ære suo.

§. 18. Græcorum capillamenta exemplum Aglaidis ostendit, πολυ-  
Coœωτάμης eee) Megaclis filiæ, qvæ Rhodigino teste, à deliciis haud  
abesse sciebat, galericulo sive adventitia coma cōtegebat caput; Nec  
minus Exemplū Hannibalis, Ducis Carthaginensium fff) celebratis-  
simi, qvi apposititias parabat comas, qvæ convenirent insignioribus  
ætatum discriminibus, elegantiori vestitui, hisq;e subinde mutatis  
utebatur. ggg) Adhæc in propatulo est, tantam olim in Græcia fuis-  
se capillorum copiam, ut etiam extraneis eis ἡρεσκόμια vendiderint.  
Qvod ipsum Stagirites sequenti testatum fecit historia, qvam Cælius  
hocce modo refert: bbb) Erat apud Mausolum Cariæ Regem, Con-  
dalus, cuius post Regem facile primus erat dignitatis gradus, ὑπαρ-  
χον Græci vocant, atq;e is, ut videtur, Lyciæ præerat. Cùm operæ  
pretium arbitraretur, qvam plurimum posset pecuniarum ad Re-  
gem mittere, aut etiam sibi congerere, lepidò commentò Lycios  
conscriptis, siq; videm intuitus illos αγαπῶντας τὸ τείχωμα Φέρειν  
h. e. comam gratè impendioq;e nutrire, finxit sibi à Mausolo alla-  
tas esse literas, qvibus injungeretur ut capillos mitterent eis ἡρεσκό-  
μια: ea videtur celebritas qvædam deponendæ comæ, qvō nomine  
oportere illos attondi. Qvod si verò præstitutam pecuniarum sum-  
mam exolvere in animum inducerent, missurum se, qvi ex Græcia,

B

capil-

ccc) Satyr. 6. ddd) de arte amand. §. 165. eee) Cœnam enim sic approbat,  
ut carnium minas absumeret decem, panum chœnicas qvatuor, vini hauriret  
χοῖ. Rhod. l.8. antiq. lect. c.XL. f. 410. fff) Plut. in Vit. ejus f.94. seqq. ggg)  
Suidas. bbb) lib.16. antiq. lect. XX. f. m. 824. edit. Basil. Aristot. l.2. Oecon. c.1.



capillitium affatim adferret. Id quum Lycii amplius perpendissent, & comæ delicias in magno reponerent, conditionem gratissimè admisere. Atq; ex hoc facetò commentò magna vis pecuniarum est inventa.

§. 19. Usum verò capillamentorum apud Persas quoque viguisse, non sanè est, qvod ullum in dubium vocemus, longiusve hīc percontando moremur. Si enim, Valerio iii) teste, Rex eorum omnium kkk) maximus tantum olim in luxum effusus fuit, ut propositis præmiis ubique conqvirenda curarit nova deliciarum ac voluptatum genera, quidni etiam capillamenta, & imprimis capillamenta Medorum ut proxima? Præsertim quum hæc ipsa tantum olim hominibus leporis ac pulchritudinis addiderint, ut spectantium animos haud quoque raro in admirationem traxerint maximam. Hinc etiam Cyrus III) cum matre aliquando in Medium profectus, viso Astyage, adpositis ( fictis ) cornis ornatō, præ nimia admirationis magnitudine in hæc erumperebat: O quam pulcrum avum habeo!

§. 20. Fuisse apud Hebraeos, ex Esaiā μεγαλοφωνίᾳ, quemadmodum Chrysostomo audit, mmm) probabiliter demonstrari potest his nnn) verbis: וְיַחֲזֵק מִשְׁרָה מִקְשָׁה קְרָפָה. Et erit, ut Arias vertit, pro opere calamistri [ opere & calamistro propter sæghol sub Maaseh ex mente ooo) R. Abendanæ ] calvitium.

§. 21. Et posito, id non satis patere ex Scriptura, ( qvod tamen verisimile: siqvidem nihil ab Hebreo populo, qvod ad superbiam faceret, fuit omisum ) multi ipsorum commentarii id satis superq; probant, qvod intendimus. Targum ad Esaiæ 3, 16. his verbis: אָלוּן Eunt & angulos ( capitum sui ) circundant, alienis scili- הַנּוּ קֹשְׂרוּתָן פִּיאוֹתָן נְכֻרוֹתָן פְּקַפְּתָן קְלִיעָתָן שְׁעָרוֹתָן תְּלֻשָׁן כּוֹרְכוֹתָן עַמָּס קְלִיעָותָן שִׁירָאָן Alligabant comas alienas i. e. plicationem sive cirrum capit-

---

iii) Val. Max. kkk) Referunt enim historiarum patres magnitudinem ejus (Xerxis scilicet) se extendisse in CLXX myriadas, i. e. decies septies centena millia. Myrias enim, ut notum est, numerum significat continentem decem millia. III) Xenoph. lib. 1. παγδ. mmm) vid. M. Job. Böttiger in Isag. Hist. seit. 2. period. 3. von der KirchenHistoria des Alten Testaments und andern Alters lib. 1. p. 51. nnn) c. 3. v. 24. ooo) in Michlol Japhi pag. 88. 2. in med. ppp) ad predictum Esaiæ locum.

capillorum evulorum circumligabant cirris suis, ut viderentur crassi & equeales vel complanati. Huc faciunt præterea, quæ extant in qqq) Tal-mud seqventia: **יוצאה אשרה בחושי שער בין משלחה בין משלך בהמתה** Egreditur mulier cum filis capilli seu sui, seu sociæ, seu bestiæ. **Καὶ ταῦται μήδης οὐ τέλεσαντας οὐμιωτάτας δαψιλεσάτης μεθέξεται.**

§. 22. Qvibus breviter in solis mensam positis, quæsivæ so adeò talpæ cæcitatis est, ut non videat, capillamenta potius ab aliis, quæm à Gallis orta fuisse? Siqvidem ὅτι τῶν λελεγμένων αὐτούς apparet, nullam jam ante ipsos fuisse gentem, apud quæm hæc quoq; ipsa non viguerint. Qvanquam nemo nostrum negatum ibit, in usu apud Gallos præ adhuc reliquis fuisse maximo &c.

§. 23. Efficiente capillamentorum qualitercunq; sic prælibata, perveniendum quoq; nunc est ad ipsam eorundem materiam, ex qua fiunt.

§. 24. Hanc definitio nostra visendam præbet voce **Crinium**, Festo, ut & aliis, Δέρμα τοῦ κείνου, h. e. discernendo, distingendo, seu dividendo nuncupatorum. Causam hujus deductionis **Salmasius** rrr) ministrat in Exercitationibus suis, quando dicit, omnes quoniam mulieres comam à fronte divisisse discriminali acu, hocq; discrimine easdem à virginibus (quæ cirratæ erant) distinctas fuisse. Ut ut verò ornatus ille, quem, sicut idem loquitur, Græci Δέρματα vel Δέρμα vocant, omnium erat simplicissimus, nihilo tamen minus quandocunq; omissus, caput adeò deforme reddebat, ut nihil suprà. Hinc **Apulejus** tanta, inquitsss), est capillamenti dignitas, quamvis auro, veste, geminis, cæteroq; mundo exornata mulier incedat, tamen nisi capillum distinxerit, ornata non possit videri.

§. 25. Commodè autem, ut revertamur unde paulum digressi sumus, distingvi possunt in proprios, & alienos.

§. 26. Proprios adpellamus eos, quos sibi nonnulli αὐτοὶ εργαστῶς ac sponte sua abscindi sinunt, posteaq; in galericulorum formam contextos ipsi capillis suis solent imponere.

§. 27. Horum nunc αὐτοὶ εργαστῶς sunt alieni, iisque vel hominum, vel brutorum.

§. 28. Hominum crines iterum sunt vel à viventium capitibus detonsi, vel à mortuorum.

§. 29. A viventium capitibus detonsi majori semper venduntur precio, vulgoq; audiunt lebendig Haar: à mortuorum verò capitibus minori, & vocantur todt Haar.

§. 30. Utrosque autem sicuti jam olim Lycii à Græcis, & aliæ nationes ab aliis accipiebant: ita & hodienum nostrates capillamentarii ab Hollandis accipiunt. Eorumq; sanè non paucos, sed ingenitem ac penè immensam copiam; imò qvod facile adfirmare ausim. plerosque: siqvidem tam ex *αὐτηνοῖα*, qvàm ex ipsâ quoq; *αὐτοψίᾳ* demonstrare possumus, superioribus nundinis hic Lipsiæ ab iisdem pro 1600. thalerorum pretio venditos fuisse.

§. 31. Comparantur autem à *τελχοπώλαις*, sive ab ejusmodi hominibus, qui eos revendunt modò perqvàm variò: vel enim coëmunt eos à Monachis in cœnobiis & Monialibus; vel ab iis, qui in *πλωχοτρόφοις* degunt; vel à qvibusdam aliis ad extremam paupertatis lineam redactis. Taceo, qvod haud etiam rarò per torturam examinandis, igne comburendis, patibulo suspensis, decollatis, rotæ impositis, aliisq;e inhonesto, turpi, ac ignominioso mortis genere extinctis rescindantur.

§. 32. Nec tantum hominum crines ejusmodi capillamentis conficiendis adhibentur, verùm, qvod profectò maximè *αἴξιοθάυμασον*, pili brutorum quoq; animantium; præsertim eorum, quorum pili cæteris sunt longiores, promissioresq;e. Qvorum in numero *οκτώ αδίκως* primas sibi vendicant ii, qui ab eqvorum jubis & caudis, ut & caprarum tergis ac lateribus rescinduntur; qvippe qui & longiores, & freqventiori quoq; in usu nunc temporis habentur. Dico nunc temporis, qvia Aristoteles meminit, etiam *τττ*) suo tempore herinaceorum aculeos à nonnullis pilorum vice gestatos fuisse. Qvod ipsum tamen *γελοτοποιὸν* magis ac ridiculum, qvàm vero simile consentaneumq;e videtur.

§. 33. Priùs insuper qvàm pedem ulterius figamus, transque ad formam eamuis, subjectum ad se recipiens seu adhærentia *οκτώ ατόπως* etiam huc refertur. Est autem illud vel *Qvod*, vel *Quō*:

§. 34. Subjectum *Qvod* cū τῷ παρέγνων omnes utriusq;e tam masculini

*τττ*) l. 5. de gener. animal.

recte paret  
per q; nos p.  
nisi mors  
non e nos.

sculini, qvām fœminini generis sunt homines, qvi capillamentis, falsisve peruvvis utuntur.

§. 35. Subiectum verò Qvō ipsa sunt capita, qvibus fulcris qvāsi fulcita superjacent, gestantur, nituntur. Et hactenūs qvoq; mate-riam, eamq; ex qva, cum subiecto adhærentiæ. Nunc μέχει qvoq; τοι δύναθ̄ contemplē formam.

§. 36. Contemplēmur autem, qvoad externē oculis usurpatur. Sicuti enim capillamentum res artificialis est: ita artificiale etiam formam hīc exhibere tenemur. Methodi melioris ergò producemus capillamenta 1) ratione coloris, 2) ratione crispationis, 3) ratione figura-tionis.

§. 37. Ratione coloris διχοτόμως partimur in nativum & adsci-titum. Ille connascitur; hic arte obducitur. Et sicuti colores, autore ννν) Philosopho, sunt vel extremi, vel intermedii: qvorum illi sunt, color albus & niger, hi verò rubeus, flavus, viridis, purpureus, cœruleus: ita capillamenta adfecta coloribus. Sunt autem freqventiora flavas, nigras, rariora albas, omnium rarissima cæterorum galeri-cula colorum. Amplissimus fese hic excurrendi campus offerret, qvī varii colores fiant ac præparentur; verū πλυνθεσάται illius ανα-λώμα] memores vela meritò contrahenda putamus.

§. 38. Ratione crispationis αξιομνημόνος, nos hīc non agere de crispatura comarum, qvā de videatur xxx) Aristoteles, sed de cri-spatura galericulorum. Semel fit funiculis, qvibus crines intorquen-tur: deinde bacellis, eodem propè modo. Posteriori capillamen-tarii priorem præferunt. vid. yyy) Junius.

§. 39. Ratione configurationis. Planum atq; apertum hoc fiet, si partium distinctiones corporis, qvibus adaptantur, paulò accurati-ūs consideraverimus. Etenim aliud est capillamentum qvod vertici

---

ννν) lib. de sensu & sensil. p. 1432. ex qvo Stier. Phys. tr. 6. part. spec. c. 19.  
www) De flavis Poppææ crinibus, Gvcarra narrat, qvod si qvis corundem exci-derit, Nero ejusdem amore captus auro statim includendum, Junonique sacrificandum curarit. De qvo Horolog. Princip. vid. Proæm. gener. ad Carol. V. 18. p.  
Ex qvo postea germanicè reddidit Joh. Moll in Allegor. prof. sacr. part. prior.  
xxx) l. 5. de gener. animal. c. 3. ubi naturaliter crispitudinis caufas prolixè ef-fert.  
yyy) Junius de coma, ubi multis de crispatura differit.

zzz), aliud qvod faciei additur sive imponitur. Qvod vertici additur, iterum est vel ólinov seu totale, qvod totum verticem tegit, vel *μερή* sive partiale, qvod in communi vocatur eine Thoure / Zöpfse / qvorum illud apertō vertice nec crinibus clauso & obtecto circulum exhibet. Capillamentum qvod faciei accommodatur est vel barba, vel superciliorum: Quæ tamen apud nos non facile adhibentur. Testimonia eorum vide apud Rangonem. aaaa)

§. 40. Restat ad Finem nos conferamus. Exhibit definitio nostra geminum his verbis: ad protegendum vel ornandum caput. Finis ergo (1) *protectio* Quemadmodū enim in moralibus vim vi repellei re licet: ita non quoq; minus vim frigoris capillamentis possunt abigere percommode. Qvòd si non vitio vertitur si quis pedem pluribus induerit tibialibus; si uno item & altero amictus indusio incescerit; cur capillamenta εξ ανάγυνης imposita sinistrè interpretemur?

§. 41. Finis (2) est *ornatus*. Quemadmodum enim in multis Scripturæ locis bbbb) capilli ipsi commendantur: ita non videtur esse, cur contexta illis galericula vituperemus, curvè caput hisce tegenti unquam succenseremus; qvùm præprimis ipsæ paginæ cccc) sacræ calviciem probro habeant maximo, multiq; eandem sicut dddd) olim,

zzz) Adfigitis præterea nescio qvas enormitates sutilium atq;e textilium capillamentorum, nunc in galeri modum qvæsi vaginam capitum & operculum verticis, nunc in cervicem retrò suggestum. Tertull. de fæm. cult. aaaa) Rangon de capill. c. 8. membr. 7. pag. 187. 188. bbbb) Numer. 6. 5. Judic. 16, 13. 2. Sam. 14, 16f. Lib. 26. 27. Cantic. 8. c. 5. 10. Apoc. 1, 14. cccc) Esa. 53, 25. dddd) pueri Bethelenses

Elisam, 2. Reg. 2, 6. 23. Ovidius:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,

Et sine fronde frutex, Et sine crine caput,

Apulejus: Mulier etiam venustissima, si capillatio nuderur, licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus ipsa fuerit, licet omni gratiarum choro stipata, & toto Cupidinum populo comitata, & balteo suo cincta, cinnama fragrans, balsama vorans, si calva processerit, placere non poterit ne Vulcano qvidem suo. Et D. Ambrosius l. 2. Hex. Coma, inquit, est reverenda insenibus, veneranda in sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata est, tolle humani capitum capillatum, tota pulchritudo flaccescit, citant. Rhodig. lib. X. antiq. lect. f. m. 498. Hinc etiam Jul. Cæsar qvia calvus fuit, id est nihil acceptius à populo Romano accepit, qvam lauream. alleg. L. Domit. Bruson. l. 2. c. XVI. de calvicie pag. m. 159.



olim, ita & hodiernum fronte excipiant superciliosissimō, exceptam deludant, delusam despiciant, despectamq; adeo contemnant, ut nihil supra.

§. 42. Verum enim verò sicuti aliàs in omnibus χεῖσις à νατο-  
χεῖσι) sive usus ab absu cuncte diligenterq; discernēdus: ita profectò  
etiam hāc in parte. Palliant eeee) virtute homines; qvod ipsum  
pari ratione in τειχωματόρεγις, ut hōc vocabulō utar, sive in ejus-  
modi hominibus qui capillamenta gestare confieverunt, haud infre-  
quenter quoque solet accidere.

§. 43. Qvemadmodū igitur capillorum cultus sit moderatus, nisi quis suā  
sponte male audire velit sapientissimo ffff) Seneca, aliisq; viris integerrimis: ita  
nimios capillamentorum quoq; concinnatores modum, qui omnibus ubiq; sa-  
pientibus gggg) semper fuit Πτη πᾶσιν ἀριστού, observare decet; ita, ut nec  
forma omnino negligatur, nec nimis exornetur. Hinc Poëta normam illis præ-  
scripsit bbbb) notatu dignissimam:

Pectere te nolim, sic nec turbare capillos,  
Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.

§. 44. Qvā occasionis oportunitate haud forsan incongruè distingvi potest,  
inter ornare, & inter ornatū nimium affectare; inter comas alere, & coma-  
sum alimentum ultra modum appetere.

§. 45.

eeee) Prodigus liberalis audit; salax humanus, avarus bonus & economus;  
Tyrannus magnificus, garrulus eloquens; cui propter ignorantiam aqua hæret,  
taciturnus &c. ffff) Seneca l.1. de brevit. &c. 12. ubi lepidè invehitur in cala-  
mistratos adolescentes his verbis: Quid, inquit, illos vocas, quibus apud ton-  
sorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, si quid proximâ nocte suc-  
creverit, deinde singulis capillis in consilium itur, dum aut disjecta coma resti-  
tuitur, aut deficiens hinc atq; illinc in frontem compellitur: quomodo irasci-  
tur, si tonsor paulo negligentior fuit, tanquam vivum tonderet? quomodo ex-  
candescunt, si quid ex juba sua in annulos suos reciderit? quis est istorum, qui  
non malit remp. suam turbari, quam comam, qui non solicitior sit de capitib  
sui decoro, quam de salute? qui non comtior esse malit, quam honestior? Hosne  
ociosos vocas, inter pectinem speculumq; occupatos? &c. gggg) attribuitur  
Cleobul. Lyd. Pythag. Phocyl. Hesiod. & aliis. vid. Anton. VValt. Gnomolog. histori-  
eo-prob. Pindarus Olymp. 13. canit:

Ἐπολαὶ δ' ἡ εκάστῳ μέτρον.  
Νόησα δὲ, καὶ εἰς ἀριστού.

Horat. l.1. Serm. Satyr. 1: Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,  
Quos ultra citragi neq;bit consistere rectum.

Xenoph. in Hipparch. T̄δ μετρίς εννοῶν σὸν αὐτὸν αμαρτίνοις.  
bbbb) Martial. l. 2. Epigr. in Pannic. epigr. 99.

AK  
He  
1124

§. 45. Et cur, sicut *iiii*) illa, adeò superbire velimus miselli homunciones, curvè tantas cristas erigere: qvùm ne minimam qvidem superbiendi, ullaſve cristas erigendi causam habeamus. Ad animi trutinam saltem revocemus fragile corpus nostrum, & citra omnem dubitationis aleam in sinum nostrum cum Poëta descendemus:

Vile q̄uid exornas nitido tām corpus amictu,  
Q̄od cras forte aridis vermis erit.

§. 46. Sunt nonnulli, judice *kkkk*) Augustino, adeò temerarii, ut creatorem ipsum qvāli corrigere non dubitent, qvando propriis iisq; pulchris crinibus abſeſſis peregrinos capiti suo admovent: imò alios qvi talia non faciunt conteſnunt. Hi autem omnium simillimi fūnt iis qvi lignis, sed deauratis pedibus incedunt, alios interim, qvi tām elegantes pedes non habent, despiciunt, ut ut ipſi alienis incedant pedibus. Longò secius adfecti sunt boni ac multò meliūs, qvi, mediam tenentes viam, utpote tutissimam, ejusmodi sibi comparant galericula, qvæ aliis scandala non pariunt, cogitantes cum Apostolo *III*): Πάντα μοι ἔχεσθαι, αλλ' ἀπό ταῦτα συμβέβη. &c. sed ob chartæ penuriam

TANTUM.

*iiii*) Zu Parīß war ein stolzes Weib / die Prangens und Pralens keine Masse wußte / die ließ einer verstorbenen Frauen ihre schöne goldgelbe Haare abschneiden / und brauchte sie auf ihrem Kopfe / als hätte sie so schöne goldgelbe Haar von Natur / ließ die unter den Schleher herfür hangen. Als sie nun lange damit geprälet hatte / und einesmals auf einer Hochzeit mit zur Kirchen gehen wolte / und überaus prächtig einher trat / da reißt ein angelegter Affe ab / that sonst niemand nichts / aber der stolzen Fr. sprang er auf den Rücken / reißt ihr den Schleher ab / und das fremde Haar heraus / daß es auf die Erden fiel / und sie also mit kalem Kopfe für iederman stehen / und ausgelachet werden muste. vid. *Alph. histor. M. Sachſ. lit. A. num. 28.* refer. *Joh. Moller. Allegor. prof. sacr. sub tit. von der Gerechtfertigung pag. 217. seq.* *kkkk*) serm. 247. de Tempore: Qvi quantitatē, inquit, vel formam, qvā Omnipotens ac prudentissimus Plasmator finxit, in aliam transfigurare contendit, nonnē ei evidenter dicere videtur, qvi se finxit: cur me fecisti sic? Improba temeritas, Creatoris plasmata vilificare, ut quantitatē suam ac formam, quantum in sese est, in aliud transfiguraret: qvod si à natura haberet, incomparabiliter se habere diceret. Nec ista dicimus à nobis tanquam ex nobis. Habemus patres nostros doctores egregios, qvi ante nos contra ista scripserunt & irrefragabili autoritate damnarunt. Audiamus (pergit *Augustinus*) *Paulum* Doctorem gentium, de superflua capillatura dicentem Corinthiis: Vir si comam nutriat, ignominia est illi. Cūm enim vir ex ordinatione DEI primatum habeat supra mulierem, qvi contra honorem sui sexūs superfluitate capillorum caput velat, primatum suum sibi abjudicat, ut merito de eo dicatur: homo qvùm in honore esset, non intellexit, comparatus est, ut vera dicamus, non tantū mulieribus, sed etiam jumentis insipientibus. Judicio enim legum jure ad obtenta virginitate dejicitur, qvi privilegio sibi concessō abutitur. *III*) *I. Cor. 6, 12.*

106(0)10

VD77

3.1



H  
O  
D

